



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

6. Verum limitari hæc doctrina debet.
 1. si sit ignorantia seu error juris dubii, seu
 circa quod diversæ sunt Doctorum pro-
 babiles opiniones, talis enim ignorantia
 bonæ fidei possessorem impedire non de-
 bet. *Abb: cap. de quarta. n. 12. de præscr. 2. si*
ignorantia juris civiliter inculpata censetur;
 puta in milite, minore 25. annis, vel
 rustico non habente copiam consultoris.
 Nam ideò legum civilium latores juris-
 ignorantiam in commodis acquirendis
 prodesse nolunt, ut desidia evitetur, &
 homines ad legum scientiam excitentur,
 & consequenter, si in quibusdam perso-
 nis juris ignorantia toleretur, eaq; etiam
 Theologicè inculpata sit, tunc bonam fi-
 dem inducere poterit, quæ omni jure ad
 usufructuendum sufficiat. *Molin: libr: 2. de*
primogenijs cap. 7. n. 69. 3. Limitant aliqui,
 quod juris ignorantia profit ad præscri-
 bendum fructus extantes, quos possidens
 bonâ fide accepit, existimans videlicet se
 jus percipiendi habere: Sed hoc verum
 non videtur quod attinet ad fructus ex-
 tantes, illi enim post rescissionem contra-
 ctus, qui jure illi resistente non subsistit
 unâ

unà cum ipsa re restituendi veniunt ex
com: *Barth: in L. sed etsi §. scire. ff. de petitio.*
hered:

7. Ultima conditio ad usucapiendum
aut præscribendum frequenter requisita
est titulus; non quidem verus (nam hic
una cum traditione vel possessione rei
dominium transfert, ut præscriptione o-
pus tunc non sit) sed rationabiliter præ-
sumptus; puta quia aliquis rem emit, do-
no, hæreditate &c. accepit probabiliter
arbitratus dominum esse eum, à quo rem
acceperat. Talis enim dicitur possidere
& usucapere, *pro emptore, pro hærede, pro do-*
nato, pro legato, & omninò pro suo DD. com-
muniter. Interdum tamen opus non est
titulum possessionis nosse aut ostendere
posse: cum nihilominus bona fides confi-
stere, usucapionemque temporis diutur-
nitate perficere queat: quia facilè etiam
in factis proprio, ex temporis longinquitate
oblivio contingit, ut dicere aliquis non
possit, quo titulo rei possessio ad ipsum
devoluta sit. *cap. i. de præscr: in 6.* Quare in
dubio, bona fidei jurisq; præsumptio stat
pro possessore, dummodo is possessionis ca-

pax